
COPIA DECRETI, ET RELATIO PROCESSUS IUDICIALIS S. FIDEI INQUISITIONIS...

Spagna : Consejo de la Suprema y general inquisicion



COPIA DECRETI S. FIDEI INquiſitionis Madritenſis in Hiſpania, aduerſus authores & libros famoſos contra Societatem IESV editos.



Go D. Ioannes de Mendoza, Canonicus S. Eccleſiæ Cathedralis de Leon, Secretarius Conſilij ſecreti Sancti Officij Inquiſitionis de Toledo, teſtor ac fidem facio, quod die Iouis, ipſo feſtiuitatis SS. Petri & Pauli Apoſtolorum die, vigeſimo nono Iunij, anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi quarti, ad horam ſextam veſpertinam, conuenimus in ædibus D. Licentiati D. Ioannis Dionyſij Fernandes Portuarij Inquiſitoris Apoſtolici Regni de Toledo, in via dicta Valuerde huius Ciuitatis Madridienſis. D. Ioannes de Sancta Cruce, Præfectus maior Cuſtodum dicti Sancti officij Inquiſitionis de Toleto, & Ludouicus Malo item de Sancto officio, itemque ſupremus Præfectus Congregationis miniſtrorum dicti officij eius vrbis, cum alijs quamplurimis de officio eodem; & omnibus in equis conſidentibus, ac cum dicto ſupremo Præfecto coram vexillo dictæ Congregationis in ordinem diſpoſitis proceſſimus præcedentibus buccinis, & tympanis, cum mulâ, holoſerico periſtromate punicei coloris inſtratâ, eique impoſitâ ciſtâ magnâ, flammis vndique adhæ-

rentibus depictâ, quâ continebantur Tractatus, qui autoritate consilij S.M.tis Sanctæ Generalis Inquisitionis 29. die Martij huius anni sexcentesimi trigesimi quarti flammis exuri iussi sunt: & antequam excederemus ædibus dicti Inquisitoris, clarâ & distinctâ voce præconis proclamatum est in hunc sensum:

Notum ac manifestum sit vniuersis, quâ ratione Sanctum officium Inquisitionis cõtra hęreticam prauitatem & Apostasiam considerando temerarios quorundam ausus nuper admissos, edendis in publicum libris sine Auctoris, loci, & præli nomine contra Religionem Societatis Iesv, & eius sancta instituta, imponendo illi falsò leges & instituta politica & indigna tam sanctâ religione, idque animo infamandi illam, & apud fideles existimationem eius traducendi (vt liquidò apparet,) & decerpendi fructum ab eâdem prolatum in seruitio Dei & eius Ecclesiæ; ad extirpandam autem funditus horum memoriam, & ad castigãdum in ipsis, quoad fieri potest, horum Tractatuum Autores, mandauit, vt Tractatus, cuius titulus est: *Singulares & secretæ admonitiones, &c.* Et alius cum titulo: *Admonitiones secretæ perspicacibus, &c.* Similiter is, qui vltimo vulgatus est, qui initium facit à media linea græca, & statim subiungit: *Magistri Francisci Roales*, hoc est, *Manifestatio & satisfactio in luce totius Ecclesiæ sanctæ*

Dei

Dei &c. impresso ad calcem nomine, *Magister Franciscus Roales.* publicè igni exurantur tanquam impij, cõtumeliosi, & ab omni veritatis specie alieni, pleni detractionibus contra nonnullos religiosos, & tam sanctam Religionem de Ecclesiâ vniuersa iam olim hodiéque tam benè meritam : Atque vt hæc omnia in vniuersorum veniant notitiam, publicè hæc mandauit meâ Præconis voce euulgari, &c.

Hæc vbi publicâ Præconis voce fuerunt edita, dicto ordine & forma, progressi sumus per viã de Valuerde, inde transeundo per viam Fuercarral venimus ad viam dictam Red. de S. Luys, indeque ad portam Solis per viam regiam, tandem progressi per portã de Guadalaiara venimus ad aream S. Saluatoris, quæ dicitur Forum Vrbis. In hac exstructa extabat è lignis pyra ingens, cui vbi appropinquauimus, voce præconis denuò vt antè proclamatio facta est : quâ finitâ Carnifex exonerauit mulam cistâ; quam vbi aperuit, imposuit pyræ quicquid ibi erat chartarum, & mox istam cistã; quæ omnia simul exusta sunt; Inde eodem ordine regressi sumus vsque ad Conuentum S. Thomæ Aquinatis huius Vrbis, vbi relictum est vexillum, eò quod ibi fundata sit dicta Congregatio, & solutus est conuentus noster. Atque vt de hac re tota constet, hoc testimonium exhibeo firmatum mea manu, & signatum

 sigillo

ſigillo S. Officij. Madriti, trigeſimo die dicti menſis Iunij, anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi quarti.

Don Iuan de Mendoza.

Concordat cum teſtimonio quod dedi Licentiato Sebaſtian de Huerta Secretario ſuæ M.tis, & de Conſilio ſanctæ Generalis Inquiſitionis. &c.

RELATIO PROCESSVS IVDICIALIS S. Inquiſitionis fidei in Hiſpania, contra libros famoſos, aduerſus Societatem IESV, publicè Madriti combuſtos.

Dominus Frater Antonius de Soto Maior, DEI & S. Sedis Apoſtolicæ gratia Archiepiſcopus Damaſcenus, Inquiſitor Generalis Regnorum quorumlibet & Dominiorum ſuæ Maieſtatis, eiuſdem Confeſſarius & Status Conſiliarius. &c.

Conſiderantes quanti interſit, vt Religioſi Ordines in debita ſint apud Fideles veneratione, & vt euitentur occaſiones, quæ poſsūt dare anſā hæreticis, qui plerūq; ex præcipuo ſtudio ſuis ſcriptis laborāt authoritatē illis abrogare, vt qui cum ſpiritus liber-

libertate vera ac Christiana, ipsorum falsa dogmata impugnant, idque totum ad maius seruitium Domini Dei nostri, eiusque Ecclesiæ, quam adeò infestant hæreses huius temporis; Desiderantes præterea vnitatē, pacem & conformitatem ipsarum Religionum inter se; & vt ex integro aboleantur dissidia conscientijs periculosa, cum graui scādalo & iactura honoris eorum, qui huiusmodi nouitatum sunt auctores: Eapropter vsurpantes auctoritatem Apostolicam nobis concessam, tenore præsentium statuimus, vt quæcunq; persona, siue Ecclesiastica, siue sæcularis horum Regnorū, cuiuscumque status, conditionis, dignitatis aut præeminentiæ fuerit, quæ à die publicationis huius nostri Edicti, Religiones aut Religiosos iniuria affecerit ea ratione, vt offensa ea vel iniuria redundet in Religionem, siue iniuria facta sit verbo pro pulpito aut cathedra, siue scripto, aut qui huiusmodi iniuriæ adiutor extiterit, incidat in pœnam Excommunicationis maioris; declarando eum iam inde, sicut ex nunc declaramus, priuatum quouis officio, aut munere, quod in Inquisitione habuerat, & inhabilem ac incapacem, vt illud retinere possit, aut vt vllo vnquam tempore restituatur in integrum; præter alias insuper pœnas, & legibus conformem correctionem, de facto in transgressores statuendam & exequendam; vt tandem ex

toto

o cohibeantur temerarij ausus eorum, qui, vt hisce bus vidimus, publicarunt libros sine nomine Auris, loci, impressoris, contra Religionem Societa- Iesv, & eius sancta instituta, imponendo illi falsò le- & institutiones politicas, tam sancta Religione in- nas, animo infamandi illam, eiusque apud fideles stimationem minuendi; & (vt apparet) subuerten- ructum, quem eadem in seruitium Sanctæ Ecclesiæ tholicæ confert. Et ad eliminandam penitus hu- modi scriptorum memoriam, & ad castigandos in is, quoad eius fieri potest, eorum Auctores, accedē- ad hæc arbitrio Dominorum de consilio Suæ Maie- tis Sanctæ Generalis Inquisitionis, decreuimus, vt ureretur publicè (& sic executioni mandatum est,) iquam impius, calumniosus, & ab omni veritate a- nus tractatus, cui titulus est: *Singulares & secretæ ad- nitiones &c.* Et alius cum titulo: *Auisos secretos à los n entendictos &c. Monitiones secretæ ad prouidos &c.* lius item, qui vltimo sparsus est, qui initio græco ediæ lineæ vsus, statim subiungit, *Magistri Francisci oales*, hoc est, *Manifestatio & satisfactio in luce totius cclesiæ Sanctæ Dei &c.* Et in fine asseritur subscriptio- impressa huiusmodi: *Magister Franciscus Roales*: Mandamus insuper, vt ex hoc in futurū persona nulla u Ecclesiastica seu Sæcularis, cuiuscunq; status, con- ditio-

ditionis, qualitatis, dignitatis aut præeminentiæ ſit, hos tractatus imprimat, teneat, vendat, aut legat, ſiue impreſſos aut manuſcriptos, ſub pœna excommunicationis maioris latæ ſententiæ, trina Canonica monitione præmiſſa, & ſub mulcta quinquaginta ducatorum pro expenſis Sancti officij; & vt ſub ijsdem cenſuris & pœnis, intra tertium diem à publicatione huius noſtri Edicti, aut habitæ illius à vobis notitiæ, huiuſmodi tractatus tradatis & exhibeatis Secretario infraſcripto, aut cuicumque ex Commiſſarijs Sancti officij, vt eos exhibeat in conſilio Suæ Maieſtatis Sanctæ Generalis Inquiſitionis, vt deinde in poſterum præuia cognitione cauſæ conſtituatur, quod magis è re fuerit, & tractetur de remedio tam enormium exceſſuum; Et ſi quos alios ſciueritis eos tenere, illos manifeſtetis antè dictos Miniſtros intra dictum terminum, ex quo notitiam habueritis; ſub ijsdem cenſuris & pœnis ſuprà contentis; quas extunc ſtatim vos, qui contrarium feceritis, declaramus incurriſſe, cum hac præmonitione: quod ſi non compleueritis, noſtriſque mandatis contraueneritis, vltra dictas pœnas procedemus ad alias, prout iuris eſt.

Atque vt nemo vnus prætendat ignorantiam & excuſationem, fecimus dari & dedimus hoc Edictum firmatum manu noſtra, & munitum ſigillo noſtro, &

B recogni-

recognitum à Secretario nostro Suæ Maiestatis & cõsilij infrascripto. Datum Madriti 30. Iunij, Anni 1634.

Fray Antonio Arçobispo Inquisidor General.
Ad mandatum Suæ Dis Illustrissimæ

Licentiatus Sebastian de Huerta.

Est signatum per Dominos Consilij Suæ Maiestatis Sanctæ Generalis Inquisitionis.

Ortitz. Pacheco. Farinas. Salazar. Fyras. Zappata. Ibarra.

Concordat cum Registro meæ Secretariæ.

Ill. D. Sebastian de Huerta, Secretarius Domini Regis & Consilij.

Sacra Indicis Congregatio Eminentissimorum & Reuerendissimorum DD. S. R. E. Cardinalium, damnat infrascriptos libros contra Societatem IESV editos, & prohibet ne vllus imposterum eos imprimere, legere, aut quouis modo apud se retinere audeat.

Libri autem sunt:

Actio perduellionis in Iesuitas Sacri Romani Imperij iuratos hostes. Authore Philoxeno Melandro.

Anatomia Societatis IESV, siue probatio Spiritus Iesuitarum.

Mysteria Patrum Societatis Iesv.

Iesuita Exenteratus.

Romæ 23. Augusti 1634.